



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 325/16/1

DECRETUM

Ss. mus in Christo Pater et Dominus Noster, Dominus Franciscus Div. Prov. Papa, ab Em. mo ac Rev. mo P. D. no Renato Raphaële S. Francisci a Paula ad Montes Protodiacono Card. Martino, Magno Priore Militiae Auratae Constantinianae, sub tit. S. Georgii et regula S. Basilii Magni, certior factus de internationali peregrinatione ad Limina Apostolorum, a die XIII usque ad diem XV Maii, Anno Iubilaei de Misericordia, ab ipsius Ordinis Equitibus ac Dominabus peragenda, plenariam misericorditer in Domino concedit atque impertit *Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) Equitibus ac Dominabus lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si emiserint vel renovaverint, saltem privatim, promissionem fideliter servandi propria Statuta:

I.- die receptionis in Ordinem; die XXIII Aprilis, in sollem. S. Georgii Mart., Patroni principalis; die XIV Septembris, in Exaltatione S. Crucis.

II.- si religiose interfuerint S. Missae pro Equitibus ac Dominabus pie defunctis, ipso die obitus seu depositionis defuncti (Indulgentia animabus in Purgatorio detentis tantummodo applicabilis). In mortis articulo amplissima valet concessio XII "Ench. Indulg."; quo in casu Ecclesia supplet tres condiciones ad Indulgentiam plenariam de more requisitas; Equites ac Dominae tamen laudabiliter ad hanc plenariam acquirendam Indulgentiam adhibent signum proprii Ordinis rite benedictum.

Equites ac Dominae, corde saltem contrito, *partialem* insuper consequi valebunt *Indulgentiam*: a.- quoties testimonium Fidei coram aliis aperte reddiderint in publicis religiosis sollemnibus aut coetibus (velut processione, pio exercitio, sacra Verbi praedicatione, conventu eucharistico, conventu Ordinis), quibus ut Ordinis Sodales interfuerint; b.- quoties operibus sive misericordiae, sive paenitentiae, sive evangelizationis in propriis Statutis propositis, pie incubuerint.

Ita Equites ac Dominae ad virtutes supernaturales, praesertim Fidei, Spei et Caritatis, in actum vitae traducendas instimulabuntur, et solidabunt suam communionem cum Romano Pontifice, totius Catholicae Ecclesiae unitatis visibili fundamento.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes in Ordinem recepti, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant atque Equitibus et Dominabus infirmis Sanctam Communionem saepe ministrent.

Praesenti *ad septennium* valituro. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die X mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXVI.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiaris Maior

Christophorus Nykiel

Christophorus Nykiel